



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

7. Quàm stultum sit ad dæmonem capitalem generis humani hostem in  
morbis recurrere?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

VII.

Max. Taur.  
hom. 4. de  
rent. Chriſti.  
Leo ſerm. 19.  
de Paſſion.  
Dom. S. Au-  
guſt. 8. de ci-  
uit. c. 24.  
S. Thom. 2. 2.  
q. 95. art. 4.  
Euthym. in  
c. 1. Marci.

S. Cyprian.  
de idol. vani-  
tate. Suprà à  
nobis cap. 19.  
ſ. 1 & 2. ci-  
tatus.

Tertium remedium eſt, expendere, quis ſit Author ſuper-  
ſtitioſorum remediorum? Nempe ſpiritus malus, qui eſt juratus  
generis humani hoſtis. Dona hoſtium non ſunt dona, vt vetus  
docet verbum. Sed huius hoſtis maximè, omnia beneficia ſunt  
maleſicia. *Diaboli verba*, ait Maximus Taurinensis, *eſſe ſolent non  
religionis verba, ſed fraudes: Et beneficia eius omnibus ſunt nocentiora  
vulneribus*, inquit Leo. Et S. Auguſtinus: *Dum beneficia preſtat,  
magis nocet, & veneno incantationum mel interdum nominis Chriſti,  
falſiſſq; vera admiscet, vt homines aſſuefaciat illi credere, cum quadam  
nonnumquam ab ipſo vera prolata deprehendunt.* Addit S. Thomas,  
vt ita perducatur in aliquid humana ſaluti nocuum; nec nocuum tan-  
tùm animæ, ſed etiam corporis ſanitati. Sic homines perdit,  
teſte Euthymio, *huiusmodi quaſi eſca inſcator.* Nihil igitur auxiliij,  
exitij multum ab hoc hoſte debet expectari. Porrò hunc hoſtem  
eſſe authorem remediorum ſuperſtitioſorum, & cur ea promit-  
tat, non obſcurè teſtatur D. Cyprianus, ſuprà à nobis citatus, in  
quinta morborum cauſſa. Nam & per ſe ipſum, in corpora ho-  
minum ingreſſus, torquet miſeros mortales; non ſecus atque ex  
idolis, & ſtatuis deorum, ſtolidum vulgus decipit: &, per vene-  
ficos miniſtrosque, morborum & tormentorum genus omne  
diſſeminat, quibus creaturæ Dei, ratione præditæ crucientur.  
Sic odij ſui ſitiam explere conatur. Sic perditus perdere cogitat,  
Sic veritatem opprimit, & ipſe diuinitatis opinionem affectat;  
dum per ſtatuas vaticinatur, & dolores membrorum, quos ipſe  
infert, quando vult mitigat. Sic damnationem ſolatur, dum  
pœnarum ſocios efficit. Sic innumeros decipit. Miriſſima & le-  
uitas, & vanitas eſt, credere patri mendaciorum.

VIII.

Marc. ult. 17.

Quod facit magiſter, etiam diſcipuli imitantur: vt in fal-  
ſam ſectam homines inducant, falſa miracula promittunt. Lege-  
runt illa Saluatoris: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequen-  
tur: In nomine meo dæmonia eijcient.* Vt ergo errores ſuos confir-  
marent, tentarunt & ipſi dæmones ex hominibus pellere. Sed  
malè ceſſit conatus malus. Anno 1545. Lutherus voluit eij-  
cere dæmonem, ſed dæmon illum in maximas anguſtias, atque  
ad